

T62

Carme LXIV, vv. 52-131  
**Arianna abbandonata**

**Metro:**  
esametri

Namque fluentisono prospectans litore Diae,  
 Thesea cedentem celeri cum classe tuetur  
 indomitos in corde gerens Ariadna furores,  
 necdum etiam sese quae visit visere credit,  
 utpote fallaci quae tum primum excita somno  
 desertam in sola miseram se cernat harena.  
 Immemor at iuvenis fugiens pellit vada remis,  
 irrita ventosae linquens promissa procellae.

Quem procul ex alga maestis Minois ocellis,  
 saxea ut effigies bacchantis, prospicit, eheu,  
 prospicit et magnis curarum fluctuat undis,  
 non flavo retinens subtilem vertice mitram,  
 non coniecta levi velatum pectus amictu,

non tereti strophio lactentes vincta papillas,  
 omnia quae toto delapsa e corpore passim  
 ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.  
 Sed neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus  
 illa vicem curans toto ex te pectore, Theseu,

toto animo, tota pendebat perdita mente.  
 Ah misera, assiduis quam luctibus externavit  
 spinosas Erycina serens in pectore curas  
 illa ex tempestate, ferox quo tempore Theseus  
 egressus curvis a litoribus Piraei

attigit iniusti regis Gortynia tecta.  
 Nam perhibent olim crudeli peste coactam  
 Androgeoneae poenas exsolvere caedis  
 electos iuvenes simul et decus innuptarum  
 Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.

Quis angusta malis cum moenia vexarentur,  
 ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis  
 proicere optavit potius quam talia Cretam  
 funera Cecropiae nec funera portarentur.  
 Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris

magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas.  
 Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo  
 regia, quam suaves exspirans castus odores  
 lectulus in molli complexu matris alebat,  
 quales Eurotae progignunt flumina myrtus

aurave distinctos educit verna colores,  
 non prius ex illo flagrantia declinavit  
 lumina, quam cuncto concepit corpore flammarum  
 funditus atque imis exarsit tota medullis.  
 Heu misere exagitans immitti corde furores,

- 95 sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,  
 quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,  
 qualibus incensam iactastis mente puellam  
 fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem!  
 Quantos illa tulit languenti corde timores!
- 100 Quam tum saepe magis fulgore expalluit auri,  
 cum saevum cupiens contra contendere monstrum  
 aut mortem appeteret Theseus aut praemia laudis!  
 Non ingrata tamen frustra munuscula divis  
 promittens tacito suscepit vota labello.
- 105 Nam velut in summo quatientem brachia Tauro  
 querum aut conigeram sudanti cortice pinum  
 indomitus turbo contorquens flamme robur  
 eruit (illa procul radicitus exturbata  
 prona cadit, late quaeviscumque obvia frangens),
- 110 sic domito saevum prostravit corpore Theseus  
 neququam vanis iactantem cornua ventis.  
 Inde pedem sospes multa cum laude reflexit  
 errabunda regens tenui vestigia filo,  
 ne labyrinthis e flexibus egredientem
- 115 tecti frustraretur inobservabilis error.  
 Sed quid ego a primo digressus carmine plura  
 commemorem, ut linquens genitoris filia vultum,  
 ut consanguineae complexum, ut denique matris,  
 quae misera in gnata desperita laeta**<bat>**,
- 120 omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem,  
 aut ut vecta rati spumosa ad litora Diae  
 venerit, aut ut eam devinctam lumina somno  
 liquerit immemori discedens pectore coniunx?  
 Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
- 125 clarisonas imo fudisse e pectore voces,  
 ac tum praeruptos tristem concendere montes,  
 unde aciem in pelagi vastos protenderet aestus,  
 tum tremuli salis adversas procurrere in undas  
 mollia nudatae tollentem tegmina surae,
- 130 atque haec extremis maestam dixisse querellis,  
 frigidulos udo singultus ore crientem.